Prot. N. 02469/2024-1472/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Antonio Prieto Lucena, Episcopo Complutensi, una cum Rev.ma M. Martha SS.mae Trinitatis Chango Yugcha, Abbatissa Sororum Conceptionistarum Franciscanarum ab Immaculata Conceptione Monasterii, eiusdem civitatis episcopalis, in quadringentesimo et quinquagesimo anniversario praefati Monasterii, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a sororibus omnibusque christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XX Aprilis MMXXIV usque ad diem XX Aprilis MMXXV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si ipsius Monasterii sacellum, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus ritibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris iam porrectis, devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die VIII mensis Aprilis, anno Dominicae Incarnationis MMXXIV.

Angelus card. de Donatis
Paenitentiarius Maior

Desiderius Ioannes Iacobus Bonaïde
officialis